

censum seu redditus cum omnibus iuribus libertatibus iudiciis et honoribus suis, cum quibus ipsi, apud quos saepedicta bona comparavimus, tenuerunt, nihil iuris nobis aut nostris successoribus episcopis Missenensibus, qui pro tempore fuerint, in eisdem bonis reservantes, ea qua decet sollempnitate dei nomine per praesentes. Item ii, quibus dictae vicariae seu una earum collata fuerit, actu sacerdos esse vel eodem anno ad sacerdotii gradum debet promoveri. Ordinamus praeterea dictorum vicariorum, qui pro tempore fuerint, conscientias onerantes et nihilominus sub interminatione maledictionis aeternae districtius obsecrantes, ut singulis feriis secundis missa pro defunctis, in qua memoria nostri . . patris, . . matris, . . fratrum, . . sororis et parentum nostrorum specialis in canone habeatur, feria tertia de sancta Barbara, quarta vero feria de sancto Basilio in altari celebrent sanctorum in honore dictorum consecrato, in altari vero secundo in laudem beatorum Bartholomei et Alexii similiter feriis secundis missa pro defunctis, modo quo praemissum est, tertiis feriis de sancto Bartholomeo et quartis feriis de sancto Alexio missas legant vel legi procurent altarium vicarii praedictorum, eo tamen proviso, si in dictis feriis vel earum aliqua festum totum duplex occurrerit, tunc enim missae praedictae in sequentibus diebus vel feriis eiusdem septimanae et per singulas ebdomadas, modo ut superius est praemissum, observentur. Ad praemissorum igitur omnium et singulorum roboris efficacius munimentum hanc paginam confici et scribi nostrique maioris sigilli et autentici fecimus robore roborari, nostri ad hoc capituli Missenensis assensu accedente pariter et consensu.

Et nos Johannes de Strelis³⁾ praepositus, Theodericus de Gogh⁴⁾ decanus totumque dictae Missenensis ecclesiae capitulum recognoscimus, quod ad sincerum reverendi in Christo patris ac domini, domini Johannis praefatae Missenensis ecclesiae episcopi rogatum, maxime cum in divini cultus augmentum eius intentio versabatur, praemissis nostrum adhibuimus ac favorabiliter adhibemus consensum, coappendentes huic litterae nostri capituli sigillum in evidentiam huiusmodi nostri consensus pleniorum. Actum et datum Stolpin anno dom. millesimo trecentesimo quinquagesimo nono sexta die mensis Septembris.

Nach zwei im Stiftsarchiv zu Meissen befindlichen Originalen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

3) Streliz B. 4) Goch B.

No. 513. 1359. 31. Oct.

Markgraf Friedrich eignet der Domkirche zur Entschädigung für in der Stadt Meissen verkaufte Jahreszinsen Renten im Dorfe Schweimnitz.

In nomine domini amen. Nos Fridericus dei gratia Thuringiae lantgravius, Mynsensis, Orientalis et in Landesperg marchio, comes in Orlamund dominusque terrae Plysnensis recognoscimus publice — quod in remedium animae nostrae ac progenitorum pariter et heredum de beneplacito, voluntate et consensu fratrum nostrorum Balthazar et Wilhelmi in restaurum decem marcarum annui census, quem venderunt canonici, capitulum et vicarii ecclesiae Mynsensis in civitate nostra Mysna ad